ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Perillustris domine,

Iamdudum aliquid de rebus meis dig. S. P. Q. Rhenensi perscripsissem, nisi publicis gravissimis negotiis te intellexissem hactenus cum Celsissimo Principe detentum fuisse Groningae, ubi vel caenanti, vel cubitum eunti, vel e lectulo surgenti, vel ad momentum denique ambulanti excidisse, ut solent, audio divina aliquot Epigrammata, id est vere tua. Loci hujus et fati mei infelicitas, quae omnium venustatum leporum ac acuminum distractionem et vasticiem fecit, omnia ista mihi invidet nisi quod unam viderim habeamque beneficio Hulsij nostri Belgicum, quo cum Sibyllam vaticinari dicis, minime miror, quandoquidem et te Apolline afflata erat et tui interpres. Musae meae quid hic agant, si quaeris, optime Maecenas, verbo dicam, frigent. quid enim hic agant, ubi Latine intelligant vel duo vel nemo, erectum vero aut elegans Epigramma ~~vel~~ nemo hercule nemo! Ergo nihil me, sicut antea, juvat scribere versiculos dolore perculsum gravi. tum autem scholasticus iste strepitus murmur dissoni clamores (et quid non?) omnem mihi, ut obiter plantissem, cerebrum excutiunt. plura volueram et tibi

scripsisse, et ingenio natu maximo filio tuo cui pauca etiam scripsi sed urget discessum amicus qui haec exhibebit. Dixit Medler regius ut et Hulsius, Antverpiam ocellum urbium vos meditari: id si ita est, felix iter atque optatum tibi precor. obiter ex Horatio concludo Sic te diva potens Cypri, sic fratres Helenae lucida sidera Ventorumque regat, Navis quae tibi creditum debes Hugenium finibus [Atticis] hunc suis reddas incolumem, precor, et serves animae praesidium meae, in quo omnia. Ergo me solito favori tuo commendo quascunque aspexeris oras tuus Perillustris Domine omni obsequio Henricus Bruno. Raptim Gr[illegible] sive Rhenis. IIIV. Cal. Nov. stylo Juliano. CIↃIↃCXLVII

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 95
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4893

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 95
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4893

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 95
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4893

Mijn Heer

Mijn Heer van Zuylichem,
Ridder, Raedt en eerste
Secretaris van Syn Hoocheyt

In 's Gravenhaye

door vriendt.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bruno_H) 95
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4893